

gebürtig bei Starnsowitz, den 17. Febr. 1796.

Von Hof-Rath Dr. G. Heglers beytrag zur jurist. Beytrage III. p. 258. in aug-
nua Beytriff von Angeltbau Vidue. iustitiae iudici reaperatorie a seraf. Pinc.
Ferd. hinc Lud. Rud. coepi et a Ferd. Alb. rem junumqz domaxialium
Helmstadiu a 1735 exerciti H. 173 5 p. 173.

Max Hoernersche.
Stud. theol.
23/Februar 1876.

Helmstadiensia.

Personalschriften für Angehörige der
Helmstedter Universität.

[Eine genaue Inhaltsangabe befindet
sich in alphab. Katalog unter dem
Ordnungsort Helmstadiensia.]

52

PROGRAMMA
IN FVNERE
OPTIMAE MATRONAE
ANNAE SOPHIAE
SCHMERHEIMIAE
VIRI MAXIME REVERENDI ET AMPLIS-
SIMI DOMINI
GEBHARDI THEODORI
MEIERI

SS. Theol. Doctoris & Sacrar. Antiquitatum in
Acad. Jul. quondam Prof. Publ. Ord.
celeberrimi

RELICTAE VIDVAE

d. II. Jul. MDCCCII.

Quo concio funebris habebatur

P. P.



HELMESTADT,

TYPIS GEORG WOLFGANGI HAMMI, ACAD. TYPOGR.



PRORECTOR ET SENATUS
ACADEMIAE JULIAE
CIVIBVS SVIS

S. P. D.



MORI homines & e vita excedere quotidianum est atque obvium, neque magnopere mirandum, si mortalibus nobis aut nostris, quibus commorandi duntaxat domicilium non habitandi locum in his terris indulfit natura, humanitus quid acciderit. Nefas tamen haud est, amissam lugere virtutem, & illorum indolere dolori, qui familiae suae ornamenta, cujuscunque fuerint sexus aut aetatis, interiisse, aegerrime ferunt. Virtus enim morumque innocentia sexum non distinguit, & si magnorum deque sacra, civili, aut litteraria re eximie meritorum virorum funera justis prosequimur lacrymis, quidni liceat feminini coetus lumina, quae extinguntur, deplorare. Cui supremum hodie humanitatis exhibemus officium, splendore generis, integritate vitae, omnique virtute eminenti ANNAE SOPHIAE SCHMERHEIMIAE, matronae optimaе, publicum merito consecramus elogium, eamque mortalium rebus exemptam esse, lugemus. Quamvis enim ad id aevi pervenerit, ut mors ejus non immatura videri queat, cum primum & octogesimum fere annu raro exemplo, compleverit; immature tamen moriuntur semper, qui vitae sanctitate viam aliis ad honesta praecire poterunt. Vixerit illa satis sibi, nondum tamen satis suis, qui exoptatis-

HERMESTER
HANS GEORG WOLFGANG HANDEL, ACD. TYPOG.

ptatissimam & plenam pietatis matrem, proëcta licet aeta-
te, sibi eripi perdolent; nondum satis huic civitati, cujus salu-
tem & prosperitatē Deo quotidianis precibus commendabat.
Nos, quod unum possumus, tam praestantis & lectissimae fe-
minae memoriam habebimus comiter, & quae ad vitam quam
innocentissime ab illa peractam spectant, litterarū beneficio,
pro eo ac decet, venturo aevo exponemus. Edita est piissima
matrona in hanc lucem elapsi seculi primo & vicesimo anno,
mensis Augusti die decimo quinto; patriamque habet hanc
ipsam urbem, Academia Julia, virtutis & bonae mentis offi-
cina, cui hospitium praebet, nobilem & decoratam. Non
minima felicitatis humanae pars est, praeclaris ortum esse
majoribus, & gentis suae decora cum propriis virtutibus con-
juncta ostentare posse. Habet cur sibi hoc etiam nomine
gratuletur *Nostra*, ex honorata admodum familia oriunda,
quae eximiis in publicam rem meritis nulli facile cedit. *Pa-
ter* ejus erat, Juliae nostrae quondam gloria, HENRICVS
SCHMERHEIMIVS Jurium Doctor & Prof. Publ. Ordinar.
de Academia & litterata juventute optime meritis, forensib⁹
rebus ac negotiosae vitae postea admotus. In aulā enim Guel-
phicam ex litterario hoc otio discessit, ut Serenissimo Prin-
cipi Augusto, Duci Brunsvic. & Luneb. gloriosissimae recor-
dationis, ut Cancellariae, quae vocatur, ut Dicafterio atque
totius ducatus regimini totus vacaret. Quantum hic vir fue-
rit & quam solide legitimam scientiam apud nos docuerit,
testantur scripta ejus, paucissima quamlibet, pro more istius
temporis. Et si caetera deessent, satis gloriae foret, quod ex
schola ipsius prodierit Henricus Hahnus, illustre docti
orbis nomen, qui docendi methodum & philosophiam
cum juris studio conjungendi rationem hoc praeceptore
hausit in annotatis ad Wesenbecium cum eruditis communi-
catam. *Mater* erat ELISABETHA RADEMANNIA, femi-

na ornatissima. *Avis paternus* SIMON SCHMERHEIMVS, juris peritia clarissimus, illustrissimis Comitibus Lippiae, Spiegelbergae, & Pymonti, ab interioribus consiliis. *Avia materna* ELISABETHA ab HOYE, nobili loco nata. *Avis maternus* JOHANNES RADEMANNVS, vir nobilissimus in ducatu Guelphico Praefectum egit longe integerrimum. *Avia materna* fuit MARIA MOLINA, cultissima matrona, quae & ipsa, ex benignitate Numinis singulari, longa vivendo spatia confecit, & septuaginta octo annos nata diem suum obiit. *Proavus maternus* erat vir sagatae primum militiae deditus & manu fortis ARNOLDVS SCHMERHEIMVS, qui in Pannonia contra juratos Christiani nominis hostes primum meruit, inde redux factus, senio & militaribus defatigatus laboribus, Dethmoldiae Comitum gratia & perpetuo favore florens, Satrapae nomine praefectus arci Dethmoldicae, custodiam ejus familiae domus haereditariae ad beatum exitum fideli ministerio peregit. *Proavus maternus* erat, vir doctrina & prudentia celebris, JOHANNES MOLINVS, qui, ubi multos annos Mecklenburgensibus Ducibus, inde huic Academiae operam suam atque industriam comprobasset, accitus tandem Guelpherbytum muneri Consiliario & Praetorio anno superioris seculi decimo est immortalis. *Proavia materna* ELISABETHA EICHHOFIA, domo apud Rostochiensis inter primas clara, foemina pietate & virtute eximia. Hac stirpe progenita piae recordationis matrona, cui exequias hodie imus, & sacris Christianis rite initiata, ab optimis parentibus a prima statim infantia sollicitè educabatur. Cum adulesceret hic mollioris sexus honos, in id incubuerunt genitores, ut quae virginem decent, artibus mature imbueretur. Praeter pietatem & honestatem morum, id praecipue curae erat parentibus, ut rei familiaris recte gerendae rationem in tempore addiceret, id quod praecipuum futurae matris familias

miliis ornamentum esse, facile intelligebant. Illa dicto audiens, morem gessit praeclara monentibus, & procul artibus ludicris, procul voluptatum illecebris atque lenociniis, seriis rebus se dabat. Intenta sedulo sacrarum litterarum lectioni aliisque libris ad pietatem & verum Dei cultum ducentibus, toto pectore averfabatur inania & indecora scripta, quae lecta peccare docent, & teneros puellarum animos seducunt saepius, uruntque ignibus inhonestis. Et quamlibet pervenusto esset vultu ac pulchritudine excellenti, mirifica tamen erat formae & pudicitiae concordia, sicque bene audiebat ubique. Cum ad secunda vota transfret pater, tam pie se gessit *Nosra*, ut novercam inter & privignam hanc a dultioris jam tum aetatis optime semper conveniret, laudabili admodum more, sed rarissimo. In dies in annos igitur cum magis magisque explendesceret & veris ornaretur laudibus, accidit, ut anno CIO IOCLVI. Nobilissimus & Consultissimus vir JOHANNES MEHLBOMIVS J. U. D. & Pandectarum in Academia Julia Professor Publ. Ord. Dicafterii item Guelphici Assessor, de illa domumducenda cogitaret, cui etiam die XXVI. Julii mensis, ex patris voluntate & consensu, uxor, secundarum atque adversarum rerum socia, data fuit. In parte felicitatis suae haud postrema merito ponit femininus sexus felix & auspiciatum matrimonium; & *Nosra* gaudebat in sinu, quod maritus ipsi contigerit probus, bonis amatus, bonus amans, honoratus insuper & splendido munere laudabiliter perfungens. Erat inter conjuges hos amor ne unius quidem reconciliationis gnarus; nec deficiebant liberi, carissima pignora & crescentis familiae incrementa atque deliciae, cum novem eorum susceperit, ex quibus tamen tres vivere dudum desierunt. Verum ut sunt mortalium res in lubrico positae, nec sincerum gaudemus gaudium, praesidium & dulce decus suum, maritum, praepropera morte amisit. Etenim idem ille

ille annus, qui, aeternum Academiae hujus decus, Georgium Calixtum, abstulit, etiam amplissimo Mehlbomio fuit fatalis, isque in ipso virilis aetatis vigore, nondum scilicet quadragésimo quinto anno exacto, de vita deceffit, veterem hunc suum & sincerum amicum, ad meliores sedes translatum, secutus. Quanto in dolore versata fuerit afflictiſſima femina, vidua facta in flore aetatis, & quod magis est, sex liberis tenellis ornata dicamus an onerata, haud difficulter intelligitur. Illa tamen, confisa Deo rebusque angustis animosa atque fortis, acquievit in voluntate numinis semper optima, & quod unum restabat, numerosae atque impuberis suae prolis curam gessit fideliter. Huic intenta iteratas nuptias modestè deprecabatur, quae saepius se offerebant, sibi vivens & suis: donec tandem, post quinquennium in viduitate summam cum laude atque integritate, vel invidia iudice, peractum, Deo aliter placeret. Factum enim est divinis auspiciis, ut anno MDCLXI. d. XXV. Junii matrimonium iniret cum Maxime Reverendo & Amplissimo Viro GEBHARDO THEODORO MEIERO SS. Theol. Doct. ejusq; & sacrarum antiquitatum in hac Academia Prof. Publ. Ordin. meritissimo. Tam suaviter vixit, tam concorditer, cultissimi moris matrona etiam cum hoc altero suo marito, ut is ultra vota se felicem & beatum tali conjugè diceret. Cumq; duas filias, quas ex ea susceperat, immaturo amisisset obitu, eo majorem liberorum prioris matrimonii, privignorum suorum, curam gessit & hoc ipso tam hos, quam uxorem suavissimam incredibiliter sibi devinxit. In tricesimum tertium annum duraverat tam suave vinculum, neque illa crediderat unquam, se & huic marito superstitem fore, cum aetate ipsum superaret. Ita tamen visum fuit Deo, & lucidum hoc Academiae sidus, suaeque familiae fulcrum & splendor, beata morte anno MDCCXI. nos dereliquit. Altera igitur vice vidua facta matrona, septuagenaria jam tum
major

major, unicas has suas spes, unica solatia sibi erepta insolabiliter moerebat, & carissimo capiti in coelo jungi, desiderabat quotidie. Novem tamen adhuc viduos annos, volente ita supremo rerum humanarum arbitro, exegit, precibus dedita enixe & sanctitati. Pro aetatis suae ratione sic satis bene huc usque valuit, cum liberi eam foverent quanta poterant industria & studio: sed ita viventem senectus, quae ipsa morbus est & inevitabile manum, tandem oppressit. Cum itaque vitae suae finem appropinquare sentiret, sancto extremi itineris viatico die XVI. mensis Junii denuo muniebatur, dieque insequenti XVII, hora III. pomeridiana, leni & placida morte, dormienti similis, expiravit pientissima matrona, cum vixisset annos LXXX, menses X, dies II. Felix illa fuit ortu, felix vitae spatium & longo & pie transacto, felicior exitu & morte beatissima. Inter tot bona, quae divina ipsi benignitas in his terris est largita, non in minimis numerare poterat valetudinem prosperam, qua per omnem fere vitam est gavisata. Ea insuper erat animi praesentia & in adversis firmitate, ut majorem ne in viro quidem desiderares. Non despondebat animum, si forte uteretur minus benigna, id quod non semel, sed identidem & saepissime ipsi evenit. Vidit lectissimum filiorum par, amplissimis & gravibus adnotum muneribus, & utrumque patriae patribus utilem navare operam, sicque educationis suae fructum laeta tulit. Vidit filias dignis generis elocatas, quo piis matribus nullum contingere gaudium majus potest. Et quae rarior esse solet felicitas, a via facta est liberorum undecim, & quatuor liberorum proavia. In hos omnes tenero ferebatur affectu inque illorum amore ac suavitate prorsus conquiescebat. Non tamen singuli dies fasti illuxerunt illi & fortunati, sed multum adversi experta est, quamdiu vixit. Ut alia sileamus, quae major infelicitas uxori, quam marito destitui, quem unum, quem ardentissime diligit. Bis contigit hoc infortunium ornatissimae matro-

matronae, sicque duplici nomine infelix vocanda. Et filias suas omnes maritis orbatas vidit atque ingemuit, quid magis afficeret teneritudinem maternam. Qua tamen erat ultra muliebrem animi magnitudine, quantum fieri potest, moderate & leniter tulit, quod mutare non poterat. A sacris, nisi corporis imbecillitate praepedita, abfuit nunquam; quae tanta tamen ultimis vitae annis erat, ut coetui fidelium in aede sacra interesse amplius nullo modo posset, domi precibus dedita & legendo atque orando animum pascens. Erga pauperes benigna erat, suavis erga omnes, modesta, non difficilis & morosa, contra aetatis illius morem, non aliarum contemtrix; erat, ut paucis multa complectamur, exemplum matronarum,

a qua virtutem potuisset discere virtus,
& de qua nihil tam magnifice dici potest, quin id pietas ejus & morum probitas longissime superet. Neque nos oratorum ornamentis rem in majus extollere, fatebuntur omnes, quibus eam propius nosse contigit, & eloquentius cuncta haec depraedicarent, si superessent adhuc, quotquot illam in vegeta & florenti aetate iisdem virtutibus ornata viderunt. Tantus earum semper fuit concentus, ut nullo vitiorum confinio laederetur. Vivit nunc sancta anima in confortio beatorum spirituum, & gaudiis coelestibus ac nunquam finiendis perfruitur. Corpus, tantarum virtutum nobile hospitium, mandabitur terrae die hodierno, ad latus utriusque mariti componendum, simulque sermo habebitur in laudem demortuae. Date hoc, Cives, virtuti tam sanctae matronae, date meritis parentis ejus & maritorum in Academiam hanc praeclaris, date cultui politioris humanitatis, quam profitemini, & exequias has pio colite affectu. Sed & illud juxta cogitate, eadem vobis, serius ocyus, suprema imminere fata, vereque beatum fore, qui didicerit quotidie vitam finire innocenter. Valet. P.P. in Acad.

Julia. d. II. Julij cccj cccii.


35. Progr. in Fun. Stiliae Heinemannii, Com. Hrovnge, vnyng. 1661.
 36. Bodmereri phil. et theol. stud. 1665.
 37. Fiknadersi progr. orationis — a Braunfels praem. 1663.
 38. progr. in Fun. puellae An. Mariae Krohn. 1666.
 39. — An. Marg. Nagleri. 1666.
 40. — — puelluli Joh. Rixneri. 1666.
 41. — — Jenelli Joh. Fr. Rixneri. 1666.
 42. — — An. Eleon. Ackeri. 1666.
 43. Carin. grat. ad Busmannum. 1667.
 44. Ode in caritatem. 1678.
 45. Andri. Helm. Hellberg gratulatio Acad. Juliae prof. 1778.
 46. Progr. Henrici Wilschurpi. 1680.
 47. Festu. nupt. Carl. Anoltri Drumbricht. 1678.
 48. Lat. ac debit. officium ad evadum. 1678.
 49. Pia vota ad Lud. Fabrum sponsorem et — Senrann. 1679.
 50. Progr. in Fun. matris Bornemanniae, Cansmanni viduae. 1691.
 51. Progr. tot. Rempen. 1709.
 52. Progr. in Fun. An. Cath. Rineritiae, Hornesii vnyng. 1649.
 53. Progr. XII Nov. A 1693.
 54. — in Fun. An. Syph. Schmerhenniae, Sitt. Theod. Ackeri vid. 1702.
 55. — Agnerae Kochner, Carp. Turberii vid. 1712.
 56. Abhandlung eines abgelaugten Oigts.
 57. Progr. in Fun. Homburgii Sels. 1714.
 58. Catalogus scriptorum in div. acad. editorum. 1732.
 59. Progr. in Fun. Carolus phil. stud. 1757.
 60. Musurgia Topapii 1757.
 61. — Siedlii. 1758.
 62. — Laur. Heideri. 1758.
 63. De vita Frobenii. 1756.
 64. Gratia panegyri. in die nat. pini. FridERICI V, davis et
 65. De des principibus. Progr. in die nat. pini. FridERICI V, davis et
 66. Progr. in fest. Michaelis. 1762. —

96
1233

— Nonnulla deunt —

ULB Halle 3
001 920 952







52

PROGRAMMA
IN FVNERE
OPTIMAE MATRONAE
ANNAE SOPHIAE
SCHMERHEIMIAE

VIRI MAXIME REVERENDI ET AMPLIS-
SIMI DOMINI
GEBHARDI THEODORI
MEIERI

SS. Theol. Doctoris & Sacrar. Antiquitatum in
Acad. Jul. quondam Prof. Publ. Ord.
celeberrimi

RELICTAE VIDVAE

d. II. Jul. MDCCCII.

Quo concio funebri habebatur

P. P.



HELMESTADI,
TYPIS GEORG WOLFGANGI HAMMI, ACAD. TYPOGR.

